



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Mortis suæ instantis indicium capit ex sententiâ subscriptâ icunculæ  
Sancti tutelaræ, quam in menstruâ suffragiorum distributione sortitò  
obtinet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

Placuit tandem clementissimo Numini tam sanctis annuere desiderijs, simulq; quid illi futurũ breuĩ esset clariũs indicare. Siquidem pridie Kalendas Augustas (qui Festus est S. IGNATIO Fundatori nostro dies) cùm in Collegio Romano singulis sortitò tribueretur icuncula futuri per sequentem Augustum Præsidis sui tutelaris; exijt Ioanni fors, hĩsce Seruatoris apud Mariam verbis sub icone scripta: *Videte, vigilate, & orate, nescitis enim quando tempus sit.* Haud surdis auribus id monitum sagacissimus Iuuenis excepit certissimi instar indicij diuinitus sibi facti, de Dei se breuĩ euocaturi voluntate. Nec temperauit lætitiæ suæ, quin protinus aperiret suo Philosophiæ Professori, alijsq; nonnullis, quos certior mox confirmauit euentus, cùm quinque post dies æger, octauo deinde est extinctus, vt deinde intelligetur. Indicandum hĩc quasi per transfennam duxi, Ioannem tum fuisse natum annos XXII. de quibus vix integros quinque egerat in Societate. Iam vitæ telam ordienti, præcisa abruptaq; prius vita est, quàm ad stabilimentum peruenisset ætatis, iuueni propior quàm viro. Vixdum primas Religiosi tyronis lineas adumbrando, rudem aliquam communis vitæ obseruantiaque imaginem inchoauerat. Si verò telæ inceptæ specimen egregium adeò admirandumque

P. Frãncisco  
Piccolomi-  
ni.

IOANNIS BERCHMANNI. 169  
dumque visum fuit; qualem futuram fuisse  
merito augurabimur, quam ille exorsam sta-  
mine, tramaque sua pertexere atque elabo-  
rare potuisset? Si prima adumbratae figurae  
lineamenta adeo arridebant; quam non spi-  
rasset vitam, coloribus ab eo viuis absoluta  
imago? Si oculos rapiebat rudis festinatae sta-  
tuae formatio; quantum conciliaffet stuporis  
simulacrum per longam artem perpolitum?  
Tamen tam angustis temporum spatijs hoc  
ille nobis opus tam perfecte elaboratum reli-  
quit, ut habeat quilibet nostrum quod meri-  
to ab eo se discere atque imitari fateatur,  
Deum vero summis debeat laudibus cele-  
brare.



L 5      PARS